



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis Universa**

Ad Mentem Præcipuorum Theologorum & Canonistarum, insertis suo loco  
Propositionibus à S. Sede Apostolica novissimè damnatis concinnata. Et  
Per Casus Practicos exposita

Complectens LXXV. Casus Materiam de Conscientia, Legibus, Peccatis,  
Fide, Spe, Charitate, Jure, Justitia, Restitutione, Contractibus, Judiciis &  
Religione &c.

**Jansen, Leonhard**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Casus LII. De Donatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39867**



de objecto illicito, ut si contra votum emam gladium, ipsa quidem emptio est illicita, non tamen de objecto illicito, ideoque valida.

## CASUS LII.

## De Donatione.

**E**RICUS varias facit donationes, sed ex post revocat 1. Quia res donata est duobus, vel dubitat, an facta sit inter vivos, vel causa mortis. 2. Quia rem dedit uxori, qua invitâ ex post vendidit. 3. Aut dedit filio causa studiorum, ob nuptias vel sacros Ordines. 4. Quia dedit omnia bona, vel saltem ultra 500. solidos, etsi juratò & ad causas pias. 5. Quia donatarius eum infamavit, alimenta indigenti non præbuit, vel aliter fuit ingratus, etsi id probare non possit. 6. Ideoque vult, ut post mortem suam heres donata repetat. 7. Item post donationem remuneratoriam Ecclesie facta nata est proles. 8. Aut donatio fuit inofficiosa, sed jurata. 9. Resolutio constabit ex seqq.

QUÆR. I. Quid & quotuplex sit Donatio? i.

R. I. Donatio est gratuita domini translatio. Dicitur gratuita, quia fit liberaliter absque obligatione non tantum justitiæ; sed & gratitudinis, ideoque donatio antidotalis seu remuneratoria, quæ fit ex gratitudine ratione beneficii vel obsequii præstiti, non est donatio planè gratuita & strictè dicta, & in odiosis non venit nomine donationis. *Purb l. 3. decret. tit. 24. num. 1. & ibid. Reiffenst. num. 3.* Utraque donatio tam gratuita, quam antidotalis debet esse acceptata, nec non libera à metu & dolo, aliàs erit rescindibilis juxta dicta de promiss. Casu præc. Distinguitur



donatio à precario, commodato &c. quòd in donatione transferatur dominium, non verò in his; in mutuo quidem transfertur dominium, sed cum obligatione restituendi rem similem, donatio verò fit gratis absque simili obligatione.

2. *R. 2do.* Donatio dividitur 1. in realem & verbalem, realis est, quæ fit cum rei traditione; verbalis, quæ fit solo verborum officio, estque sola promissio de dando, quâ quidem alteri per verba de præsentires actu donatur, sed actu non traditur, hæc donatio est improprie talis & imperfecta, neque ei convenit definitio superius data; si eadem res uni donata est verbaliter, alteri verò realiter cum traditione, hic retinebit rem, primus tamen habebit actionem contra donantem ad restituendum valorem rei & omne interesse.

2. Dividitur donatio in absolutam, quæ fit absque ulla conditione, onere vel modo, & in conditionatam, quæ fit sub certa conditione vel onere; sed neque hæc proprie donatio dicitur *L. 1. ff. de donat.*

3. Et principaliter dividitur in donationem *inter vivos*, quæ fit sine mentione aut suspitione mortis, & donationem *mortis causâ*, quæ fit intuitu mortis, ideoque morte non secutâ revocari potest. §. 1. *Instit. de donat.* si adjiciatur pactum vel juramentum de non revocanda donatione, hoc ipso est donatio inter vivos *Illf. Onnate d. 31. sect. 7. & 8.* In dubio, an donatio sit facta inter vivos vel mortis causâ, censetur facta inter vivos, quia hæc est principalior. *Onnate n. 84.*

3. QUÆR. II. Quanam donationes à jure prohibeantur? *R. seqq. 1.* Donatio pupilli, filii-fa-  
mi-



miliis, Religiosi, si fiat absque licentia Tutoris, Patris vel Superioris &c.

2. Prohibetur donatio merè liberalis & gratuita facta conjugi à conjuge, & ejusmodi donatio est ad nutum revocabilis, ità ut maritus rem donatam insciã & invitã uxore vendere vel alienare possit, toto tit. *C. de donat. inter virum & uxorem*. Ratio est, quia conjuges ex mutuo affectu vel nimium darent, aut si non darent, esset periculum discordiarum. Si tamen donatio non sit merè liberalis sed remuneratoria, aut accedat juramentum vel mors donantis, firmatur donatio, & fit irrevocabilis, *Sanch. l. 6. de Mat. d. 11. Spor. t. 6. c. 3. n. 41.*

3. Donatio à Patre facta filio infirma est & 4. revocari potest, attamen post filii emancipationem firmatur, fitque irrevocabilis, *L. 31. ff. de donat.* Item si Pater filio aliquid det ex causa studiorum, alimentorum, qualificationis, remunerationis, donatio tenet, nec obligatur filius eam mortuo Patre in divisionem hæreditatis conferre, *Nav. c. 17. Mol. to. 1. d. 240. Laym. sup. Covarr. 1. var. c. 7.* nisi ex consuetudine vel aliunde de patris voluntate constet. Sic *Tamb. in Decal. l. 5. c. 4. §. 2. num. 4.* dicit ea, quæ pater dat in dotem, ob nuptias, ob S. Ordines, pro ingressu in religionem, pro procurando officio, post mortem Patris ex consuetudine conferenda esse in divisionem cum fratribus, non item, quæ dat pro solemnî convivio in prima Missa, aut in ingressu religionis colligitur ex *L. ut liberis 17. Cod. de collat.*

4. Prohibetur donatio inter vivos omnium bonorum præsentium & futurorum, quia talis donator privat se potestate testandi, quod Leges re-



probant tanquam contrarium bonis moribus civilibus: *L. stipulatio ff. de V. O.*

§. Donatio inter vivos ultra 500. solidos de jure est invalida: *L. pen. C. de donat.* videlicet quoad illum excessum, nisi fiat cum insinuatione donationis coram Judice & tabellione eam ad acta publica referente; per solidum intelligitur ducatus aureus nostræ monetæ. *Pirh. num. 5. Reiff. num. 15.* Excipiuntur ab his legibus donationes remuneratoriæ, donationes ad causas pias, vel juramento firmatæ; & omnis donatio ad causas, v. g. studia; dotem; militiam; ad constructionem ædium dirutarum, *Cov. Less. Laym. Reiff. num. 19.* Quia hæ non sunt donationes merè gratuitæ, ideoque ad eas non extenduntur Leges prohibitoriæ. Imò in conscientia tuto retineri potest omne, quod datur etiam ultra summam à Lege præscriptam, donec à donante vel ejus hærede repetatur; aut per sententiam judicis donatio rescindatur. *Less. Laym. Pirh. num. 7. Spör. num. 55.* Ratio est, quod hujusmodi donatio jure naturæ sit valida; & à Legibus tantum invalidetur sub conditione: si à donante vel judice rescindatur.

6. QUÆR. III. Qualiter donatio revocari possit? R. Donatio facta inter vivos; quantumvis sit perfecta & per traditionem completa; ex tribus præcipue causis revocari potest.

*Primo:* Ex capite ingratiitudinis; quæ de jure §. casus comprehendit; ut i. Si donatarius verbo vel facto donatori injuriam atrocem inferat in honore. 2. Si talem injuriam inferat in bonis fortunæ. 3. Si per se vel per alium impias manus injecerit. 4. Si vitæ periculum; etiam morte non secutâ intulerit. 5. Denique si conditio-



nēs sibi impositas non impleverit. *L. fin. de donat.*  
*L. fin. cod. de revoc. donat. c. fin. de donat.*  
 Addunt *Clarus, Less. & alii* valdè probabiliter;  
 si donatori valdè indigenti neget alimenta; spe-  
 ctato tamen jure probabilius est; quòd præter cau-  
 sas à Jure expressas nullæ aliæ; etsi majores; ad  
 revocandam donationem sufficiant; quia in *L.*  
*fin.* dicitur; ex his tantummodo causis donatio-  
 nes everti concedimus. *Eng. l. 3. T. 24. num. 19.*  
*Zoes. 16. num. 30. Pirh. num. 35.* Debet tamen  
 ingratitude probari coram Judice; ante cujus sen-  
 tentiam donatarius restituere non tenetur; post  
 sententiam tenetur rem cum fructibus post litem  
 contestatam perceptis. *Textu claro in d. L. fin.*  
*Dian. p. 8. T. 6. R. 53. Lug. d. 23. num. 172. Pirh.*  
*num. 36.*

Excipiuntur sequentes donationes ob ingra-  
 titudinem non revocabiles. 1. Donatio facta  
 Ecclesiæ vel loco pio; etiamsi Prælati vel  
 Monachus foret ingratus, quia hæc donatio pri-  
 mariò facta est Deo; qui ingratus esse non po-  
 test. *Barbosa in c. fin. num. 15. Clarus §. donatio*  
*q. 21. num. 5. Pirh. num. 37.* 2. Donatio re-  
 muneratoria; quia in odiosis non venit no-  
 mine donationis. *Barb. num. 17. Eng. l. c.*  
 3. Donatio facta filix in dotem. *L. si dotem 24.*  
*C. de jure dot.* 4. Si donatarius rem donatam  
 in alium transtulit donando; vendendo; per-  
 mutando. *Zoes. Eng. num. 20.* quia hæc actio  
 est personalis; ideoque contra solum ingratum;  
 & non contra tertium locum habet; nisi hic sci-  
 enter & dolosè rem acquisisset. 5. Si donator  
 scivit ingritudinem; & donationem non revo-  
 cavit; censetur eam remisissè; nec hæres vel suc-  
 cessor ejus revocare potest *d. L. fin. nisi donator*



lite contra ingratum contestatâ decesserit, aut morte præventus dolo, metu, vel aliter impeditus revocare non potuerit, vel ingratitudinem ignoraverit. *Dian. Lug. l. c. Reiffenst. num. 64.* contra *Zoes. num. 104.* *La Croix. l. 3. p. 2. n. 801.* Ratio ducitur à contrario, nam Leges cit. dicunt: hæredibus non competere actionem, si donator tacuit; ergo si non tacuit, competit; non autem dicitur tacere ad ingratitudinem, qui eam ignorat, aut à loquendo agendoque impeditus fuit. *c. fin. de dilat.*

8. Secundò revocari potest donatio ex capite prolis susceptæ, putà si donator carens prole magnam partem suorum bonorum donarit, & post ei improvisò proles legitima nascatur. *L. si unquam C. de revoc. donat.* Excipitur donatio remuneratoria vel facta ob causam donatori utilem, ità cum communi *Molin. d. 282. n. ult. Clarus qu. 23. num. 3.* Quia ejusmodi donatio non est liberalis, sed potiùs mercedis præstatio. Item donatio facta Ecclesiæ, quæ non revocatur ex toto, sed usque ad legitimam filiis jure debitam *L. 5. 7. de inoff. don.* meritò tamen *S. Aug. Serm. 49 de div. c. 4.* luadet, ad majorem populi ædificationem totum ab Ecclesia restitui.

9. Tertiò revocari potest donatio inofficiosa sic dicta; quòd pater vel mater contra officium pietatis uni vel pluribus filiis, aut etiam extraneis in tanta quantitate donavit, ut Libris legitima auferatur vel minuat, tunc hi per querelam apud Judicem institutam post mortem donantis possunt revocare donationem non quidem in toto, sed quantum diminuit portionem illorum legitimam, ut claret ex *L. 1. § seqq. Cod. de inoff. donat.*



*donat.* Nec refert, quòd parens fortè donationem juramento firmârit, cùm enim beneficium revocandæ donationis in favorem liberorum introductum fit, non potest Patris juramento tolli. *Tamb. Hann. Laym. hic num. 18. Pirh. num. 46.* Qui pariter dicunt revocari posse donationem juratam ex capite ingratitude aut natæ proli, quia donatio & per consequens juramentum donationi adjectum ex dispositione juris habet hanc tacitam conditionem: nisi proles nata aut donatarius ingratus fuerit, &c.

## C A S U S L I I I .

## De Commodato, Precario, Deposito.

**F**Abius equum amico commodatum, 1. 2. Eò quòd ipse illo indigeat, ante tempus repetit, 3. Res precario concessas vendit statim. 4. 5. Sed hoc non obstante amicus equum alius commodat vel locat, aut ultrà tempus retinet, 6. 7. Interim equus morbo inficitur, alios inficit, ac post multas expensas moritur. 8. Rebus apud se depositis utitur. 9. Nec statim repetenti reddit, 10. Expost apud ipsum deteriorantur, permutantur, 11. Negotiationi exponuntur, 12. Et prætèxtu habitæ custodia, expensarum, aut debiti retinentur, 13. Pro Resolut.

QUÆR. I. Quid sit Commodatum & Precarium?

Res. 1. Commodatum est rei alicujus pro certo tempore ad solum usum gratuita concessio. 1.

Dicitur 1. Rei alicujus sive immobilis sit, ut domus, stabulum &c. sive mobilis præsertim, quæ